

eidem iam dictis appropriatis et incorporatis et in posterum dandis, apropiandis et incorporandis singulis annis in festo sancti Michaelis dimidiam sexagenam latorum grossorum Mißnensium Fribergensis monete dabit et ministrabit indilate et sine protectione^{e)}. Et quocienscumque plebanus de domini nostri pape aut legatorum eius aut quorumcumque superiorum nostrorum aut etiam nostro aut iudicum nobis subiectorum mandato interdictum tenuerit seu cessaverit a divinis idem cappellanus similiter interdictum tenere et a divinis cessare et se ecclesie parochiali in omnibus debet conformare sine contradictione. Sed quia nullum beneficium erigi aut pro beneficio ecclesiastico censi potest citra licenciam episcopi dioecesis et ipsius canonicam confirmationem, quapropter pro parte ipsius Francisci nobis humiliter extat suplicatum, quatenus dimenbracionem, ordinacionem, erectionem et dotacionem dicte cappelle et altaris approbare et confirmare dignaremur. Nos attendentes nostri^{e)} officii proprium esse, divino cultui insistere ipsumque proponere et nosse debere augmentare, domini Hermanni de Hagen nunc plebani consensu legaliter accedente ipsius Francisci precibus piis et devotis inclinati erectionem et dotacionem dicte capelle et altaris ipsiusque separacionem ab ecclesia matrici et parochiali et omnem ordinacionem et disposicionem prescriptis | laudamus et approbamus et in beneficium ecclesiasticum et ab ipsa ecclesia parochiali separatim et divisim erigimus, quod etiam auctoritate nostra ordinaria confirmavimus et confirmamus in dei nomine et in hys scriptis, ipsiusque redditus iam eidem datos et dotatos et imposterum dandos et dotandos cum pecunia prescripta in ecclesiasticam recepimus et presentibus recipimus libertatem statuantes, ut dicta cappella deinceps beneficium ecclesiasticum et ab ipsa parochiali ecclesia separatum censeatur et ne quis vel qui persone spirituales vel seculares cuiuscunque condicionis, dignitatis, ordinis vel eminentie fuerint redditus ac peccuniam predictos invadere, distrahere, alienare seu in alios usus preterquam ad usus dicte cappelle transferre presumant. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignacionem et offensam omnipotentis dei se noverit incursum et tamquam sacrilegium a lege et canone puniendum et ad satisfactionem condignam coherendum. Et ego Hermannus de Hagen plebanus in Zwickaw recongnosco publice per presentes, quod huiusmodi capelle erectio, dotacio, dimenbracio et separacio ac omnis ipsius ordinacio, ut premissum est, de meo consensu et bona voluntate facta sunt. In cuius rei testimonium sigillum nostrum manis una cum sigillo supradicti domini Hermanni plebani in Zwickaw presentibus est appensum. Datum anno domini millesimo trecentesimo nonagesimonono, ipso die Bartholomei apostoli.

a) über der Zeile (B) b) so (B) c) folgt gestrichen ordin (B) d) folgt gestrichen debet (B) e) so (B), möglicherweise verlesen aus procrastinacione f) folgt gestrichen officium (B)

224. *Bürgermeister und Rat zu Zwickau kaufen von Hans Hurlemann ein Stück Acker am Planitzer Bach zum Graben von Ziegelerde.*

1399 September 15